

No. 616. 1372. 6. Aug.

Probst und Capitel bestätigen die vom Domherrn Conrad Prüzse gestiftete und dotirte solenne Feier der Octaven der beiden Schutzheiligen des Hochstifts.

In nom. dom. amen. Nos Heynricus praepositus, Nycolaus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum esse volumus — quod constitutus coram nobis in capella omnium sanctorum capitulariter congregatis honorabilis vir dominus Conradus Prüzse praepositus Budissinensis, noster concanonicus sua nobis insinuatione monstrare curavit, quod, quia duas vineas cum uno quartali mansi terrae arabilis et media area attinente in villa Zcûczkewicz^a) et iuxta eam in parte proprietatis nostri capituli sitas sua comparavit pecunia, eademque bona Heynrico dicto Magir rustico villae eiusdem inhabitatori possidenda hereditarie de nostro scitu et consensu contulit, sic quod idem Heynricus et sui heredes et successores de vineis, agris et area huiusmodi dare debent in censu in singulis beati Michahelis festis duo talenta et quinque solidos denariorum Fribergensium, sive novem solidos grossorum Misnensium datorum pro tempore currentium annuatim, quodque habitis eisdem novem solidis unam iterum sexagenam cum dimidia et novem grossos annuorum similiter reddituum in villa, quae media Ebirsbach dicitur et in districtu sive territorio Haynensi sita est, a Bernhardo Schefer opidano in Hayn emit et cum proprietate eorum comparavit — ea potissimum intentione et proposito, quod de redditibus ipsis disponere in ecclesia nostra possit et valeat, quidquid pro suae salute animae viderit disponendum — volensque praefatus dominus Conradus praepositus sui conceptum propositi in augmentum laudis et gloriae beatissimorum patronorum nostrorum, Johannis videlicet apostoli et evangelistae nec non Donati episcopi et martyris, ad quos speciali et praecipuo devotionis ducebatur affectu, sub quorum nos venerandis patrociniis iugiter militantes felicia rerum temporalium incrementa cottidie suscipimus et post huius decursum vitae lubricae, aeternae vitae gaudia eorum intervenientibus meritis et precibus adipisci devote speramus, pio convertere desiderio, cupiens eos ampliori prae aliis dei sanctis in hac eorum ecclesia laudis praeconio sublimari, ipsorum octavas devote sollempnizandum duxit et sollempnizavit in hunc modum, quod festa eorum per totam octavam cum suffragiis et collectis in matutinis in missis et in vesperis more solito observentur, sed octavae festorum ipsorum in primis et secundis vesperis, in matutinis et in missis, cum praepulsatione, cum processione sive circuitu ecclesiae nostrae dumtaxat et non ad sanctam Affram, sicut in diebus festorum principalium fieri consuevit, facienda, cum cantu, cum provisione, cum sequentia ‚*Verbum dei*‘ in octava beati Johannis, quod ante portam latinam communiter dicitur, decantanda et cum omni alia divini officii sollempnitate, qua festa principalia peracta sunt et agi consueverunt, per nos et nostros successores perpetuis in ecclesia nostra temporibus sollempniter peragantur. Sciens autem dominus Conradus — spiritualia sine temporalibus diu subsistere non posse, praemissam suae devotionis intentionem materialibus

^a) Zitzschewig, Par. Kötzschenbroda.